

tinctus terminus formaliter a corpore Christi, ut ex sanguine, vel ex alia materia per formalem conversionem genitus, etsi utrobique sit eadem entitas, et substantia corporis Christi, tamen sub diverso modo et respectu attacta. Et hoc sufficit ut sit diversus terminus formaliter in esse termini, licet sit eadem substantia entitative. Sicut locus ratione distantiae fundat diversam rationem termini, prout acquisibilis per ascensum, vel descensum, aut circulariter, licet non addatur novus modus productus in ipso loco: sic attingitur corpus Christi de novo, non absolute, sed prout sic, id est, ut ex pane, sic enim diversa via attingitur idem terminus substantialis.

ARTICULUS IV.

Quomodo dicendus sit Christus persona composita?

I. Duo breviter in hac difficultate attingenda sunt, alterum de ipsa re, alterum de modo loquendi. De ipsa re difficultas est, quo modo intelligenda sit ista compositio, nam compositio intrinsece importat imperfectionem, et solum convenit creaturæ; non enim compositio solum importat multiplicationem, aut numerum rerum, vel unionem illarum, alias in Trinitate Personarum daretur compositio, quia ibi plures Personæ numerantur, nec solum habent unionem, sed etiam sunt unum in natura. Requiritur ergo ad compositionem aliqua dependentia, seu imperfectio quatenus componentia se habent, ut partes; ipsum autem compositum, ut resultans ex illis et ut dependens ab illis. Persona autem Verbi non est dependens ab humanitate, neque ut pars cum illa,

neque ullam habet imperfectionem; ergo nullo modo est composita.

II. Deinde non est minor difficultas in assignandis extremis hujus compositionis. Nam quatuor modis solet in ea fieri combinatio. Primo, quod extrema non sint ipsæ naturæ, vel persona, sed alia, et alia ratio subsistendi in diversis naturis, tamquam diversæ habitudines subsistendi terminatæ ad diversas naturas: secundo, quod ista compositio fiat ex natura divina, et humana, tamquam ex extremis unitis in eadem subsistentia: sic enim redditur illa persona composita, id est, subsistens in duplici natura, non in una tantum: tertio, quod fiat compositio ex natura humana, et personalitate divina, ut resultet suppositum Dei hominis: quarto, quod fere in idem redit, quod ista compositio fiat ex supposito, et natura ut ex quo, et quod.

III. Est ergo dubium, quomodo ista extrema concurrant ad compositionem personæ, loquendo de compositione propria, secundum quod resultat unum tertium ex duobus extremis componentibus, quæ vocatur compositio. Ex his: Nam de compositione alia minus propria, quæ vocatur compositio: cum his, seu compositio. Huic non est tanta difficultas, quia ista compositio nihil aliud est, quam ipsa unio, qua unum conjungitur alteri, et sic dicitur componere, quasi simul cum altero ponere: sicut subjectum componit cum accidenti, id est, illi adjungit suum esse.

IV. Est autem advertendum, quod sancti patres, ut catholicam veritatem contra Eutychem, et Nestorium explicarent, nec ponentes unam tantum naturam cum Eutychem, neque duas Personas cum Nestorio, dixerunt Personam Christi esse compositam ex duabus naturis, quia cum persona importet offi-

cium subsistendi, si persona diceretur simplex, quantum ad formalitatem personæ videretur solum concedi unum, et simplex officium personandi, seu subsistendi in una natura divina. Unde fit, quod si etiam post incarnationem, persona non diceretur composita, sed simplex, quoad officium, et formalitatem personæ, oporteret, quod etiam post incarnationem maneret tantum una natura. Et iste est error Eutychetis; vel quod natura humana haberet suam personam creatam, et natura divina suam increatam; ita quod quælibet seorsum esset simplex, in subsistendo tamen inter se illæ personæ unirentur accidentaliter, et hic error Nestorii.

V. Ad explicandam ergo catholicam veritatem, necesse fuit dicere, Personam divinam post incarnationem non mansisse simplicem in officio, et formalitate personæ, et consequenter esse compositam, quatenus eadem persona realiter subsistit in duplici natura, et vices habet duplicis personæ: et ita sumitur ex quinto Concilio generali collatione viii, can. iv, et in sexta Synodo actione iv et xi et xiii, can. vi, et in Concilio Lateranensi, can. viii, et ex Damasceno, lib. iii fidei orthodoxæ, cap. iii et iv et v, et adducitur hic a D. Thoma in argumento Sed contra.

VI. Ex his ergo deducimus Personam Christi esse compositam compositione ex his, excludente imperfectionem, et non solum compositione cum his. Extrema autem hujus compositionis possunt duplici modo designari. Primo, quod sint duæ naturæ, humana, et divina ordinatæ ad subsistendum in eadem persona: secundo, quod natura humana, et personalitas divina, seu suppositum, et natura humana, ut quo et quod. Assignare

autem pro extremis hujus compositionis duplicem rationem subsistendi, non est propria compositio, quia illa duplex ratio subsistendi non est ipsa extrema; sed se habent, ut habitudines ipsius personalitatis Verbi, quatenus subsistit in diversis naturis; quæ relationes ex parte Verbi non sunt reales, sed rationis, et sic non possunt se habere, ut extrema hujus compositionis.

VII. Prima pars hujus conclusionis sumitur ex D. Thoma in iii, dist. vi, quæst. ii, art. iii, et ex quarto contra gentiles, cap. xlix, et ex quæstione unica de unione Verbi incarnati, articulo primo ad tertium. Et ex ejus doctrina explicatur id, quod docet hic, articulo quarto de compositione Personæ Christi post incarnationem. Supponit enim D. Thomas, quod compositio duas habet conditiones, quarum una non importat imperfectionem, altera vero importat; et prima invenitur in hac compositione Personæ Christi, non secunda. Prima conditio compositionis est, quod esse alicujus communicetur, et pertineat ad omnes partes, sive ad illa extrema, quæ sub illo toto constituuntur, quia partes non debent habere proprium esse (inquit D. Thomas) sed esse sub esse totius.

VIII. Altera conditio est, quod causetur esse totius ex adunatione, et conjunctione partium: et hæc conditio importat imperfectionem, quia importat esse causatum, et dependens a partibus. Dicit ergo D. Thomas, quod secundum primam conditionem salvatur compositio in Persona Christi, non quantum ad identitatem: neque est dicendum, quod sit solum composita, quasi cum altero posita, quia hoc modo hæretici etiam concederent Personam Christi esse compo-

sitam, quia cum altera persona creata est posita.

IX. Igitur secundum, D. Thomam non solum datur in Persona Christi compositio cum his (ut dicebamus) etenim hæretici admittunt, qui duas Personas ponunt in Christo, ex quibus una persona componitur, id est, cum alia ponitur, et jungitur; cum ergo una tantum maneat persona, etiam in duplici natura, oportet, quod non solum sit composita cum naturis, sed etiam ex illis, etc.

X. Fundamentum est, quia licet illud esse personale in se entitative non sit compositum, tamen in ratione se communicandi, et extendendi ad plura, seu subsistendi in pluribus naturis, resultat ex illis pluribus, quibus tale esse communicatur, tamquam ex susceptivis illius esse. Et sic salvatur prima conditio compositionis ex his, scilicet, quod esse totius communicetur extremis. Et sic in ratione communicati dicitur suppositum compositum.

XI. Nec simili modo potest dici, quod esse divinum communicatum Personis, possit hac ratione dici compositum. Respondetur enim, quod illud esse divinum non communicatur alicui Personæ, vel extremo per unionem, vel per participationem sui, sed per omnimodam identitatem essentiali cum Personis, et ideo excludit omnem compositionem essentiali cum illis. In mysterio autem incarnationis communicatur esse personale naturæ humanæ per unionem, non per identitatem. Et sic salvatur compositio, non solum cum his, sed etiam ex his: non quidem ex his, causantibus ipsum esse personale entitative, sed ex his concurrentibus ad illud esse totius communicandum; et consequenter ex quibus consurgit non esse causatum, sed esse communicatum, et in ra-

tione communicandi compositum.

XII. Quod si dicas hoc non sufficere, ad veram compositionem ex his: nam etiam accidens concurrat cum subjecto ad communicandum esse totius, et tamen ex accidenti, et subjecto non fit compositio ex his, respondetur, quod accidens non concurrat ad communicandum in esse totius personaliter, et subsistenter, sed solum inhæsit, et consequenter ex hoc concursu; non resultat persona composita in ratione personæ, et in communicatione esse substantialis, sicut communicatur naturæ humanæ, quæ trahitur ad subsistendum personaliter in Verbo, non ad inhærendum.

XIII. Quod si urgeas: Nam illud esse communicatum, et pertinens ad plures partes, etiam in quantum communicatum, non causatur ab illis; ergo neque ex illis componitur tamquam ex extremis, et sic non datur compositio ex his, respondetur distinguendo antecedens; non causatur illud esse simpliciter, et in se, concedo; non causatur, ut de novo communicatum, et quantum ad illam novam extensionem, nego. Hoc enim non fuit ab æterno, sed in tempore factum est, et consequenter causatum est.

XIV. Secunda pars conclusionis de extremis hujus compositionis declaratur, in primis excludendo a ratione extremorum illam secundam rationem subsistendi, quia licet detur in Christo alia, et alia ratio subsistendi in diversis naturis, tamen ista diversa ratio est diversa habitudo, et relatio personæ ad illas naturas: extrema autem hujus compositionis non possunt esse relationes, præsertim rationis, sed debent esse extrema realia substantialia, quia illa compositio est realis et substantialis in officio personæ.

XV. Deinde explicatur, quomodo extrema hujus compositionis possint esse ipsæ naturæ, una ut habens terminationem æternam in persona, alia ut temporalem; et quomodo possit esse personalitas, et natura extrema in quibus exercetur duplicata terminatio cum ipsa persona, et hoc est esse personam compositam non in se, et entitative, sic enim est simplicissima illa persona, sed est composita in ratione personæ, ut ait D. Thomas articulo secundo, id est, in officio, ex exercitio personæ, id enim significat *ly* in ratione et *ly* in se, quod aliqui putant obscure dictum, quia ratio personæ est ipsa quidditas personæ, et ipsamet persona; sed tamen *ly* ratio non sumitur ibi pro quidditate, seu essentia, sed pro officio, seu ministerio personæ in terminando.

XVI. Et si dicas: Quomodo naturæ faciunt hanc terminationem, et compositionem, tamquam extrema, si quidem non faciunt resultare ipsam personalitatem, sed a personalitate terminantur, neque ipsæ personæ immediate inter se uniuntur, ut inde resultat persona: si autem essent extrema hujus compositionis, prius deberent uniri inter se, quam resultare illud tertium,

XVII. Respondetur naturam uniri posse, et componi ex suis extremis, vel in esse naturæ, vel in esse personæ, ut colligitur ex D. Thoma hic articulo quinto. Constat enim, quod ex unione animæ, et corporis, non solum fit una natura humanitatis, sed etiam una persona hominis. Quo sensu accipitur illud symboli Athanasii: Sicut anima rationalis, et caro unus est homo, id est, una persona hominis ita Deus, et homo unus est Christus, quia sicut natura humana, et divina junguntur ad unam personam non unica, et simplici terminatione, sed duplici, et ita faciant personam compo-

sitam, et non simplicem in terminatione, et in officio personæ; corpus autem et anima componunt unam naturam, quæ unica, et simplici terminatione subsistit in persona; ideo non oportet, quod natura humana, et divina prius uniantur inter se in ratione naturæ, ut resultat persona composita; sic enim potius resultaret una tantum terminatio personæ, sicut resultat ex anima, et corpore; sed sufficit quod illæ naturæ immediate terminentur, ut ex illis, tamquam ex extremis, in quibus illa duplex terminatio exercetur, resultat persona composita, id est, duplicatum officium, et ministerium personæ.

XVIII. Denique, quantum ad modum loquendi in hac parte dicendum est cum D. Thoma, Personam Christi non posse appellari compositam simpliciter, si *ly* simpliciter idem sit, quod omnibus modis, cum ista compositio non servet omnes modos, et condiciones compositionis, ut dictum est, quia aliqua compositio imperfectionem importat; an vere possit dici simpliciter, id est, absolute, et sine addito persona composita, respondetur affirmative, ut etiam concedit Cabrera hic disp. vii, et Molina, et alii, licet hæc propositio neganda sit, sine addito: Filius Dei est compositus; Verbum est persona composita, nisi additur in quantum homo, propter appellationem, quam dicit compositum supra illum terminum Filius Dei, aut Verbum.

XIX. Ratio est, quia ita loquuntur absolute patres, et Concilia dicentes Personam Christi esse compositam ex duabus naturis; nec theologo dicunt, illam propositionem esse exponendam in bono sensu, sed absolute illam concedunt, quia ita locuti sunt sancti ad extinguendam hæresim Eutychetis, et Nestorii: ergo locuti

sunt in sensu proprio, et sic sine ulla expositione, vel addito concedenda est illa propositio, sicut absolute conceditur, quod Christus est compositus ex duabus naturis, Christus autem persona est. Nec compositio absolute affert imperfectionem in suo conceptu, nisi quando servatur utraque conditio supra a nobis relata ex D. Thoma, non quando solum altera salvatur cum vera, et propria compositione, quæ est adunatio multorum in aliquo uno communicanti esse extremis.

DISPUTATIO V.

DE CAUSA MORALI ET PHYSICA INCARNATIONIS.

ARTICULUS I.

Utrum sancti patres meruerint de congruo incarnationis substantiam?

I. Supponimus de condigno non meruisse incarnationem, ut manifeste ostendit D. Thomas, articulo primo hujus quæstionis. Præcipue, quia unio hypostatica, cum sit unio in esse personali, et divino, transcendit beatitudinem, quæ est unio solum in esse intelligibili, et per modum speciei. Cum autem in pura creatura non detur altius principium merendi, quam gratia, et unio hypostatica, ita transcendat gratiam adoptionis, ut sit alterius ordinis, sicut esse Personam divinam, respectu hujus, quod est participative, et accidentaliter tantum esse Deum, sicut est per gratiam adoptionis,

manifestum relinquitur, quod incarnatio quantum ad substantiam non potest cadere sub merito de condigno puræ creaturæ, hoc est creaturæ merentis per gratiam adoptionis, si quidem meritum de condigno adæquari debet cum præmio in valore, et virtute, et contineri in gratia tamquam in semine: gratia autem est semen gloriæ, non unionis hypostaticæ.

II. Tota ergo difficultas est de merito congrui, an possit gratia collata patribus, cum sit per Christum, mereri incarnationem ejus, quantum ad substantiam. Et ut intelligatur punctus difficultatis, advertendum est, congruitatem dupliciter accipi posse. Uno modo pro congruitate fundata in pura misericordia Dei, sine aliquo jure, sive debito ex parte operis: alio modo pro congruitate fundata in proportionem amicitiae, et in opere gratiæ facto ab amico; amicitia autem est pars potentialis justitiæ, et sic fundat aliquod debitum, etsi non strictum, et rigorosum, sicut meritum de condigno.

III. Et hinc est, quod D. Thomas agnoscit meritum de congruo non semper idem, sed diversimode se habere, ut patet in II, dist. XXVII, quæst. I, art. VI, et 1-2, quæst. CIV, art. VI, dum in prioribus verbis articuli loquitur de actu, secundum quod procedit a libero arbitrio, ut distinguitur a motione divina, et tribuit illi meritum de congruo respectu divinæ misericordiæ, et superexcellenti virtutis ejus: in fine autem corporis articuli loquens de alio genere meriti de congruo, fundat illud in ipsa gratia, et amicitia erga Deum, quia congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salute alterius.

IV. Hic ergo loquimur de merito congrui hoc secundo modo, quia hoc habet veram rationem meriti, et

fundat aliquod jus, etsi non rigorosum, saltem amicabile, et morale; supponitque amicitiam tamquam principium talis meriti, in cujus proportionem fundatur, ideoque sine gratia nullum datur meritum, etiam de congruo respectu præmii supernaturalis. Et ideo communiter supponunt theologii, quod qui haberet gratiam, seu amicitiam Dei, et non per Christum, posset ejus incarnationem mereri de congruo, quia difficultas non est in proportionem amibili actus procedentis a gratia cum ipsa incarnatione, sed in hoc, quod illa gratia est habita per Christum.

V. Neque est simile de operibus ordinis naturalis ad promerendum de congruo rem supernaturalem, et de operibus gratiæ ad merendum de congruo ordinem hypostaticum, quia ordo naturalis non constituit hominem in vera amicitia Dei, sicut gratia, et ideo non potest fundari meritum de congruo sine gratia, quia hoc meritum fundatur in proportionem amicitiae.

VI. Hoc ergo supposito, tota difficultas reducitur ad illud commune argumentum, quia principium meriti non potest cadere sub merito: constat autem incarnationem secundum substantiam esse principium omnis meriti, quia est principium omnis gratiæ, si quidem ut dicitur Joan. I: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia*: ergo gratia patrum non potuit mereri incarnationem Christi, quia erat data per Christum, et incarnatio erat principium illius, etiam de facto, et in executione, quia Christus positus in executione merebatur illam, et sic erat principium talis meriti, quia erat finis cujus gratia dabatur.

VII. Confirmatur ex doctrina D. Thomæ 1-2, quæst. xcviij, art. iv, ubi inquit: « Quod ex sola gratuita

electione patres promissionem acceperunt, et populus ex eis progenitus legem accepit, etc. Si autem rursus quæretur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, et non alium, conveniet responsio Augustini, quam dicit super Joannem, quare hunc trahat et illum non trahat noli velle judicare, si non vis errare. » Et quo deducitur argumentum: Patres non potuerunt mereri, ut ex ipsis Christus nasceretur, si quidem tam gratuitum fuit respectu illorum, sicut Deum efficaciter trahere istum, et non illum; quod utique ita gratis fit, quod nec sub modo de congruo cadere possit: ergo neque potuerunt patres mereri de congruo ipsam incarnationem: plus enim est mereri incarnationem absolute, quam mereri, quod fiat ex isto populo: hoc enim pertinet quasi ad circumstantiam incarnationis; ergo si hoc non potuerunt mereri de congruo, neque illam.

VIII. Confirmatur secundo ex his, quæ docet D. Thomas in III, dist. IV, quæst. III, artic. I ad sextum: « Quod Beata Virgo non meruit incarnationem, sed supposita incarnatione, meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui: » ergo ipsa substantia incarnationis secundum D. Thomam, sub merita congrui non cadebat, si quidem supposita illa meruit Beata Virgo, quod per eam fieret incarnatio: si autem supponitur incarnatio; ergo non cadit sub merito.

IX. Denique urgeri potest: Quia si sancti patres de congruo meruerunt incarnationem, quæ est principium gratiæ; ergo etiam meruerunt de congruo suam gratiam, quia incarnatio erat principium, et causa illius; ergo qui merebatur illam de congruo, etiam propriam gratiam merebatur.

X. Nihilominus sententia D. Thomæ est, sanctos patres meruisse de